# NUMERI DOCHMIACI USUM SOPHOCLEUM

AD

VETERUM RHYTHMICORUM DOCTRINAM QUADRARE

DEMONSTRATUR.

---

## DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

**AUGUSTUS GRABOW**
MUENCHEBERGENSIS.

LEMGOVIAE
TYPIS F. L. WAGENERI.
MDCCCLXIX.

VIRO ILLUSTRISSIMO ET SUMME VENERABILI

# CAROLO WEIZMANN

REVERENDI MINISTERII ECCLESIASTICI MUENCHEBERGENSIS
SUPERINTENDENTI ET PASTORI PRIMARIO,
ORDINUM SPLENDIDORUM EQUITI

PRAECEPTORI ET FAUTORI BENEVOLENTISSIMO
ET DILECTISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Si omnibus versibus, quibus dochmiorum nomen datum est, collectis iisque inter se comparatis propriam dochmii formam constituere vellemus, tam varium vagumque schema nobis exsisteret, ut illud nomen non rhythmo sed generi cuidam rhythmorum datum esse videretur. Ita Bothius quidem in editione sua Sophoclea omnes paene versus, qui ad suas leges metricas non quadraverunt, aut mira quadam licentia mutavisse, aut „dochmios", „dochmaicos, „similes" nominasse videtur. *) Attamen vero dochmii forma, etiamsi minus accurate ea cognoverimus, quae veteres ipsi de dochmio tradiderunt, facile inveniri potest; gravior autem exsistit quaestio, quidnam discrimen sit inter eos versus dochmiacos et logaoedicos, quorum schemata congruunt; cur

Antig. 807. *τὰν νεάταν ὁδόν* — ᴗ ᴗ — ᴗ —
logaoedicus versus,
Phil. 510. *εἰ δὲ πικροὺς, ἄναξ* — ᴗ ᴗ — ᴗ —
dochmiacus putetur.

Itaque ne haec de numeri dochmiaci usu Sophocleo quaestio fundamento carere videatur, ita eam instituendam mihi esse putavi, ut, priusquam ad usum Sophocleum cognoscendum aggrederer, quae esset forma atque natura ipsa dochmii, docerem. Jam vero unde melius eam cognoscamus, quam ex iis ipsis, quae veteres de dochmio tradiderunt? Ac primum quidem inter omnes constat, eum non simplicem esse rhythmum, sed e genere duplici atque sescuplici compositum. Legimus enim apud Aristidem p. 39 **)

*) cf. conspectum metricum ad Trach. 987—1044 in Sophocl. dram. ed. Bothe.

**) cf. Westphal. Metr. gr. p. 560.

*Μιγνυμένων δὴ τῶν γενῶν τούτων εἴδη ῥυθμῶν γίνεται - δοχμιακόν - συντίθεται ἐξ ἰάμβου καὶ παίωνος διαγυίου* (cretico)

◡ — | — ◡ —
iambus creticus.

Neque ab illo auctore discrepat Schol. Heph. 60, cum doceat dochmium esse jambum et paeonem primum: ◡ — | — ◡ ◡◡. Omnium autem luculentissimus est locus, quem Rossbachius et Westphalius ex Schol. Heph. 60 et Etym. Magno p. 285 ita restituerunt: *Ἐν τῷ δοχμίῳ τριάς ἐστι πρὸς πεντάδα, καὶ δυὰς ἡ πλεονεκτοῦσα· κ. τ. λ.*, ex quo dochmii thesim ab arsi duabus moris superari perspicitur. Denique Quintiliani verba afferre liceat: *) Est et dochmius, qui fit ex bacchio et iambo, vel iambo et cretico.

Sufficiant haec testimonia, unde dochmium ex trisemo iambo et pentasemo paeone compositum, octasemum igitur numerum esse, satis apparet. Jam cognoscamus, cum veteres ipsi de natura hujus mistionis in duas discesserint opiniones, utra comprobanda sit; ac primum quidem de eorum opinione disseramus, qui priores duas syllabas iambum, tres in fine positas creticum esse opinati, hoc dochmii schema proposuerunt:

De compositione iambocretica dochmii.

◡ —́ | —́ ◡ —,

ut nullâ thesi interjectâ arsis arsim excipiat. Cum autem Aristide auctore arsis sit *φορὰ μέρους σώματος ἐπὶ τὸ ἄνω, θέσις δὲ ἐπὶ τὸ κάτω ταὐτοῦ μέρους*, **) non minus pedem bis *θέσει* ponere possimus nisi interim pede *ἄρσει* sublato, quam arsim post arsim legamus, nisi post priorem disemam aut unius morae vacuum tempus inseramus, aut productae arsi

*) Instit. orat. IX. 4. 97.

**) Non ignoro hoc loco arsim a gradiendo eam pedis partem significare, quae ictu non percutitur, quam nostrates a remissa in loquendo voce thesim appellare solent, et *θέσιν* respondere arseos voci. Sed quia non modo in loco laudato sed etiam in tota hac quaestione nihil interest, nostram consuetudinem attingant necne arseos theseosque notiones, accuratiorem hujus rei explicationem negligendam mihi esse putavi.

priori mensuram trisemam tribuamus. Utrum autem eligis metrum,

hocine ◡ — ◡̂ — ◡ —,
an illud ◡ ___| — ◡ —,

manifestum est rhythmum enneasemum fieri. Atqui cum mensuram neque enneasemam neque alteram quamlibet dochmiacam judicandam esse facile perspici possit, nec illiusmodi versus:

◡ — ◡̂ — ◡ —
◡ ___| — ◡ —

neque hujus modi: *)

◡ ___| — ◡ — | Λ | ◡ — ◡ — ◡ ___| Λ
*τὸν ὦ πυρφόρων ἀστραπᾶν κράτη νέμων*

dochmiis adnumerandi sunt.

Jam vero, si quis dixerit, dochmios

Oed. T. 1328 ◡ — | — — —
*τῦφλον κηδεύων*

Ant. 1276 — — | — ◡ —
*φεῦ φεῦ ὦ πόνοι*

enneasemos,

Phil. 510 — — | — — —
*ἔχθεις Ἀτρεῖδας*

decasemum esse, non liqueat qua ratione novem aut decem morae numerandae sint. Nam irrationales sunt dochmii, in quibus longa syllaba pro brevi posita non duas continet moras, sed unam et dimidiam, sicut in spondeis irrationalibus qui aut iambis aut trochaeis inserti sunt **). Longae enim syllabae irrationales neque numerum morarum pedum augent, neque *μεταβολὴν κατὰ γένος* efficiunt, ita ut genus duplex ($\frac{1}{\smile}$ $\frac{2}{-}$) prorsus in genus par ($\frac{2}{-}$ $\frac{2}{\smile\smile}$) transeat, sed tar-

---

*) cf. Bellermann ad Oed. T. 200 p. 24; his de versibus infra accuratius disseram.

**) Westphal System der ant. Rhythm. p. 84.

diorem ejusdem generis duplicis rhythmum reddunt *). Tantum vero abest, ut iis, quae de dochmio irrationali diximus, haec quaestionis nostrae pars refutetur, ut novam inde rationem petamus, qua mistionem illam iambo-creticam vituperandam esse demonstrare possimus. Illius enim dochmii forma haec est: $\overset{\alpha}{\underset{\smile}{-}}$ — — $\overset{\alpha}{\underset{\smile}{-}}$ — ($\alpha$ = χρόνος ἄλογος); duas igitur syllabas irrationales, primam atque quartam cognoscimus. Quarum illa quidem, si prima est iambi, legitima est; primo enim in loco aut dipodiae aut versus iambici longa syllaba collocari potest. Quid autem de χρόνῳ ἀλόγῳ mediae cretici syllabae sentiendum sit, nescio. Boeckhius quidem de Metr. Pind. II. 8 p. 147 seqq. haec fere judicat: „Sed magis etiam offendit“, inquit „anceps syllaba „in medio cretico ⏑ — — ⏑̲ —, quo tres fiunt ordines „rhythmici: ⏑̲ ⏖́ | ⏖́ | ⏑ ⏖́, quorum primum et „tertium iambum dicit Hermannus, medium hunc ⏖, hoc „est, opinor, pyrrhichium. „Seidlerus, utrum cum Herman- „no ordines ita distinguendi sint:

⏑ ⏖́ | ⏖́ | ⏑ ⏖́

„an potius sic: ⏑ ⏖́ | ⏖́ ⏑ | ⏖́

„reliquit dubium. Mihi tota haec lis videtur nulla esse: „quippe si modo continuus rhythmus est, media anceps cum „praecedentis tum sequentis arseos debet esse thesis.“ — At dochmius neque in tres partes dirimi potest, neque tres arses habet, compositus enim est e duobus pedibus, quibus non tres sed duae arses sunt. — Dices: Quid? Creticus dochmii nonne aut ex pyrrhichio et iambo ⏖ | ⏑̲ —, aut ex trochaeo et pyrrhichio — ⏑̲ | ⏖ compositus est? — Minime vero. Nam Aristoxenus, quippe cujus auctoritas in rebus rhythmicis maxima sit, plane tempus disemum pedem efficere negat p. 302: Τῶν δὲ ποδῶν, inquit, ἐλάχιστοι

*) Westphal l. l. p. 72 seqq.

μὲν εἰσιν οἱ ἐν τρισήμῳ μεγέθει· — τὸ γὰρ δίσημον μέγεθος παντελῶς ἂν ἔχοι πυκνὴν τὴν ποδικὴν σημασίαν *) Creticus igitur non compositus sed simplex est versus ἐν λόγῳ ἡμιολίῳ (3 : 2), qui δύο χρῆται σημείοις **) (Arist. p. 38) cujus arsis et thesis sunt ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ, cujus arsis sunt tres priores morae, thesis duae ultimae: ***)

ώ ◡ | ώ
arsis thesis

Quae cum ita sint, media cretici syllaba nec prima iambi neque ultima trochaei est; anceps igitur esse non potest.

Restat ut eorum opinionem, qui creticum aut trochaicam catalecticam dipodiam aut monopodiam duplicem esse dicunt, examinemus. Ac primum quidem illa reicienda videtur esse, quoniam in dipodiis trochaicis ultimae, non secundae syllabae ancipites esse possunt. Boeckhius quoque dochmii creticum esse dipodiam trochaicam catalecticam negat. Sin autem l. l. p. 151 hunc numerum, demptâ secundi trochaei thesi, e duplici monopodia trochaica — ⏓ | — || ⏓ natum eumque creticum irrationalem esse censet, id obiciendum est, monopodias trochaicas i. e. trochaeos singulos cum ancipitibus syllabis secundis non inveniri nisi in basi, quam vocamus, versuum logaoedicorum, basim autem nunquam in fine, semper in initio horum versuum positam esse. Neque igitur tali modo longa syllaba irrationalis defendi potest.

Ex iis quae disseruimus, id satis intelligitur, dochmium non ex iambo et cretico compositum esse; jam videamus, quid de compositione bacchio-iambica judicandum sit.

---

*) Reliqui rerum rhythmicarum scriptores ab hac sententia non discedunt. cf. Westphal Syst. p. 12. seqq.

**) σημεῖα hoc loco sunt partes rhythmicae, arsis et thesis.

***) Marius Victor. p. 2483: in cretico sublatio longàm et brevem occupat, positio longam. cf. Westphal Syst. p. 32. seq.

De compositione bacchio-iambica dochmii.

In ea illae quidem difficultates, quas supra commemoravimus, non inveniuntur: nam cum bacchii arsis in secunda syllaba, iambi in ultima posita sit, ⏑ —́ — | ⏑ —́, arsium concursus vitatur; et cum prima utriusque pedis syllaba anceps esse possit, ⏓ —́ — | ⏓ —́, irrationalis dochmii forma commodissime exponitur. Idemque sentit Westphalius in Syst. rhythm. antiqu. p. 84: „Der Tactwechsel ἐξ ἀλόγου εἰς ἄλογον (πόδα) „kommt vor in der Verbindung des Bacchius und Iambus „zum Dochmius, wenn sowohl die Kürze des Bacchius wie „des Iambus mit der Länge vertauscht ist:

| ⏑ — — | ⏑ — | α<br>⏓ — — | α<br>⏓ — |
|---|---|---|---|
| παίων | ἴαμβος | παίων | ἴαμβος |
| ῥητός | ῥητός | ἄλογος | ἄλογος. |

Forsitan quis, cum dochmius sit perusitatus, Hephaestione auctore bacchios raros esse dicat. At Schol. Heph. 171 haec affert: *Βακχεῖος οὕτως ἐκλήθη, ἐπειδὴ οἱ τῶν διθυραμβοποιῶν πρὸς Διόνυσον ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἐκ τούτου τοῦ μέτρου ἦσαν.* Sophocles et ipse hoc metro utitur

Phil. 396. 511 *) *ὅτ' ἐς τόνδ' Ἀτρειδᾶν ὕβρις πᾶσ' ἐχώρει*

⏑ — — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — —

*ἐγὼ μὲν τὸ κείνων κακὸν τῷδε κέρδος.*

E quo cum intelligatur, bacchium a poetis non raro collocatum esse, nihil est quod dochmium e bacchio et iambo compositum esse negemus. Dochmii igitur formam principalem istam proponimus:

⏑ —́ — | ⏑ —́

Bacchius | Iambus

cujus prima utriusque partis syllaba anceps esse potest:

⏓ —́ — | ⏓ —́

Quibus formis addamus reliquas e singulis syllabis longis

*) Saepius etiam bacchii apud Aeschylum et Euripidem inveniuntur, cf. p. 26.

in binas breves dissolutis ortas, ut jam hoc dochmii schema nascatur:

⏓ ⏔́ ⏔́ | ⏓ ⏔́

quod variationes triginta duas complecti perspicuum est

$(2 \times 2 \times 2 \times 2 \times 2 = 32)$.

Sed de dochmii formis satis superque disseruisse mihi videor. Jam usum numeri dochmiaci Sophocleum cognoscere studeamus, et primum formas, tum vim indolemque dochmiorum consideremus.

1) De dochmii forma.

Ac formae quidem hae in hujus poetae fabulis reperiuntur:

1) ⏑ — — ⏑ — Oed. T. 1329 Ἀπόλλων τάδ' ἦν Ant. 1291, 1246 etc.
2) ⏑ ⏑⏑ — ⏑ — Oed. T. 1315 ἀδάματόν τε καί O. T. 1340, 1345; O. C. 834. El. 1255.
3) ⏑ — ⏑⏑ ⏑ — Ai 875 τίς ἂν φιλοπόνων (Ai 358 ἁλίαν ὃς ἐπέβας cf. pag. 12).
4) ⏑ — — ⏑ ⏑⏑ Ant. 1343 ὅπα πρὸς ποτερόν Phil. 401.
5) ⏑ ⏑⏑ ⏑⏑ ⏑ — O. T. 1330 ὁ κακὰ κακὰ τελῶν Phil. 399; Ant. 1262; Phil. 515.
6) ⏑ ⏑⏑ — ⏑ ⏑⏑ O. T. 1345. τὸν καταρατότατον O. T. 1340; Ant. 1257.
7) ⏑ — ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑ Ant. 1272 θεὸς τότ' ἄρα τότε.
8) ⏑ ⏑⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑ O. T. 1321 σὺ μὲν ἐμὸς ἐπίπολος El. 1246; O. T. 661, 691, 1314, 1323, 1350.
9) — — — ⏑ — Ant. 1276 φεῦ φεῦ ὦ πόνοι Ant. 1311, 1255.
10) — ⏑⏑ — ⏑ — O. T. 1346. ἐχθρότατον βροτῶν Phil. 510; O. T. 1360, 656, 685, 686, 1362; Ant. 828, 1208, 1229.
11) — ⏑⏑ — ⏑ ⏑⏑ O. T. 1365 εἰ δέ τι πρεσβύτερον.
12) — ⏑⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑ El. 1246 οὔ ποτε καταλύσιμον El. 1266.
13) ⏑ — — — — O. T. 1323 τυφλὸν κηδεύων Phil. 395; Ant. 818, 1246.
14) ⏑ ⏑⏑ — — — Phil. 395 πότνι' ἐπευδώμαν.
15) ⏑ — — — ⏑⏑ Ant. 1289 τί φῄς, ᾧ παῖ; τίνα.
16) — — — — — Phil. 510 ἔχθεις Ἀτρείδας.

17) — ⏖ — — — O. C. 1485 *Ζεῦ ἄνα, σοὶ φωνῶ* O. C. 1567; O. C. 1523, 1525.

18) — ⏖ ⏖ — ⏓ El. 1266. *εἴ σε θεὸς ἐπώρσεν.*

In omnibus dochmiis, quorum syllaba ultima non soluta est, brevem pro longa syllaba in eo loco ⏓ ⏖̄ ⏖̄ ⏓ ⏓ inveniri facile intelligitur, quia in omnibus versibus ultima syllaba anceps est (cf. specimen loco XVIII positum.)

Eos versus quos in indice proposui, omnes revera dochmios esse et ex antistrophicis versibus et ex aliis, quas infra demonstrabo, notis cognovi. Neque earum formarum,

a) De rarissimis dochmii formis.

quas uno specimine illustravi, exempla (loco III, VII, XI, XIV, XV, XVI, XVIII posita) plura inveniuntur; neque formae IV, XII aliis locis comprobantur.

Exempla in locis tertio et septimo collocata sententiae repugnant, quam Engerus (Phil. XII, 457) probare studuit: vitatas esse a poëtis eas dochmii formas, quarum secunda arsis in duas breves dissoluta sit, nisi primâ dissolutâ:

⏓ — ⏖ ⏓ ⏖̄ *)

Quam ad legem constituendam, cum levissime scripturam omnium locorum discrepantium mutaverit, ipse jam legem suam dubiam reddit. Plane falsam eam esse liquet e rationibus, quas ad eam comprobandam affert: dochmii arsim primariam positam esse in syllaba tertia ⏑ —́ —̋ ⏑ —; solutâ igitur secundâ ⏑ ⏖́ —̋ ⏑ — tertiam longam majore vocis vi extolli, i. e. ictu percuti, syllabâ tertiâ solutâ ⏑ —̋ ⏖́ ⏑ — ictum primarium in secundam syllabam cadere, id quod a dochmii natura discrepet. Causam, cur ictus a tertia ad secundam syllabam recedat, hanc affert, quod longa arsis, ut validior, potius quam soluta ictu primario ferienda sit. Nulla haec est ratiocinatio. Quid ita? Quia falsae sunt propositiones. Neque enim ictus primarius in tertia syllaba

*) Engerus, ut infra demonstrabo, aliter atque ego arses positas esse censet.

positus est nec ad secundam recedit, quia bacchii, i. e. primae dochmii partis, secunda syllaba semper ictu feritur; neque longa syllaba magis idonea est, quae majorem arseos vim excipiat quam soluta; reperiuntur enim, ut ex indice colligas, satis superque dochmii, quorum tertia syllaba soluta est, quos eandem ob causam Sophocles vitare debuit.

Haec quidem veritas inest in ea Engeri lege: usus illorum dochmiorum non est nullus sed perrarus. Causam autem, cur hoc ita esset, neque ille invenit, neque ab alio quoquam inventam esse ego comperi. Quamobrem dubito, utrum ingenii mei viribus diffisus de hac quaestione dijudicanda desistam, an eam perquirere atque perspicere coner. Sed quoniam res in disceptationem vocata est, jam quid sentiam dicere mihi liceat. Ac primum quidem perspicuum est, quaestionem illam quae de rarissimo dochmii hujus formae:

⏑ — ⏕ ⏑ — ⏑ — ⏕ — —
⏑ — ⏕ ⏑ ⏕ ⏑ — ⏕ — ⏕
— — ⏕ ⏑ — — — ⏕ — —
— — ⏕ ⏑ ⏕ — — ⏕ — ⏕

usu exsistit eandem esse, quae nobis instituenda est de prima dochmii parte i. e. bacchio, qui cum pes pentasemus paeonicus sit, *τρίσημον ἄρσιν* ad *δίσημον θέσιν* accipit (cf. Westph. Syst. p. 33.) et duas tantum partes rhythmicas, arsim et thesim, continet sicut iambus. Atque bacchii thesis duas moras complectitur. Quae si unâ longâ syllabâ expressae sunt: ⏑ — (arsis) | — (thesis), thesis arsim sequitur; simplex igitur, non dubia series partium rhythmicarum est; sin autem thesis in duas breves soluta est: ⏑ — | ⏕, sensus qui nobis innatus est rhythmicus, semper propensus ad thesim aut arsi aut alteri thesi subiciendam, duplicem rationem ita sibi fingere poterit, ut primam theseos syllabam

aut cum arsi aut cum altera theseos syllaba conjungat. Si theseos syllabae in unum comprehenduntur, prima majore voce pronunciatur quam altera, ictum igitur quasi secundarium accipit bacchius in hunc modum: ◡ —″ ◡́, sed vis hujus ictus multo est inferior quam ictus primarii. Jam vero tantum abest, ut ii qui in theatro audiunt, aliquid temporis consumere possint in rhythmis cogitatione perquirendis, ut eos statim in ipsa actione mente comprehendant necesse sit. Ii igitur qui audiebant, nescii, quales rhythmi sequerentur, aut, minorem illum ictum secundarium auribus sentientes, genus paeonicum id esse cognoscebant, — tum mensura dochmiaca facile intelligi poterat, — aut, id quod verisimilius est, eum auribus praetermittentes propter nimium pondus arseos praecedentis hanc syllabam thesim sequentis cujusdam iambi esse existimabant, iambi dico, et quia iambus jam praecedebat (prima bacchii pars) et quia sensus rhythmicus continuam rhythmopoeiam requirit. Neque igitur hunc rhythmi progressum exspectabant:

◡ —″ ◡́ ( ◡ ◡ —́) i. e. dochmiacum

sed illum ◡ —́ ◡ (— ◡ — etc.) i. e. iambicum.

Mox alterâ theseos syllabâ auditâ errorem quidem sentire poterant, sed cum et rhythmus et effectus ejus in animis jam non haereret; poëta, sive excitare sive remittere animos audientium voluerat, id quod sibi proposuerat non assequebatur. Audientes enim decepti et morosi non obsequuntur poëtae.

Eam esse causam existimo, cur non solum apud Sophoclem sed etiam apud alios tragicos tales dochmii perrari sint. Ii autem, qui inveniuntur, aut tales sunt, ut omnis de rhythmo dubitatio sublata sit, aut tam rari sunt, ut usus eorum paene nullius sit ponderis. Sophocles tria praebet exempla:

Ai 879 τίς ἂν φιλοπόνων ⏑ — ⏖ ⏑ —
Ant. 1273 θεὸς τότ' ἄρα τότε ⏑ — ⏖ ⏑ ⏖
Ai 358 ἁλίαν *) ὃς ἐπέβας ⏑ — ⏖ ⏑ —

quae ita composita sunt, ut in minorem theseos ictum primae syllabae vocum cadant, in quibus earum quasi summa inest: φι — τότ' — ὃς, qua positione vis ejus ita augetur, ut eam magis ad thesim sequentem: λο — ἄ — ἐπ — quam ad arsim praecedentem referendam metrumque bacchiacum sive dochmiacum esse facile cognoscas. Neque ab usu Sophocleo abhorret aliorum tragicorum, quorum ex operibus haec affero exempla:

⏑ — ⏖ ⏑ — Aesch. Spt. 110 θεοὶ | πολίοχοι
» » 129 σύ τ' ὦ | διογενές
» » 566 κλύουσ' | ἀνοσίων
» » 615 [ἐκτρέπον]τες εἰς | ἐπιμόλους
» » 87 θεαί | τ' ὀρόμενον
» Pers. 658 βαλὴν | ἴθι, ἱκοῦ et antistr.
» » 665 κλύῃς | νέα τ' ἄχη
Eur. Hipp. 593 τὰ κρύπτ' | ἄρα πέφη —
» » 840 πόθεν | θανάσιμος
» Hel. 654 — μονᾶν | πλέον ἔχει
» Iph. T. 840 πρόσω | τάδ' ἐπέβα
Aesch. Or. 158 ὕπνου | γλυκυτάταν
— — ⏖ ⏑ — » » 146 λεπτοῦ | δόνακος, ὦ.

Sunt haec paene omnia exempla, quae a Rossbachio et Westphalio (Gr. Metr. p. 558 sequ.) omnino afferuntur. Ceterorum mensura dochmiaca aut in dubitationem vocari potest aut jure reicienda est. Satis igitur causae mihi videtur esse, cur legem a me propositam obtineam.

At forsitan quisquam quaerat, cur ea forma ⏑ — ⏖ ⏑ —, cujus secunda syllaba longa est, eâ cujus eadem syllaba

---

*) cf. p. 13.

soluta est: ⏑ ⏖ ⏖ ⏑ —, vel ⏑ ⏖ ⏖ ⏑ ⏖, rarius inveniatur. Respondebo id fieri, quod ii, qui audiunt, rhythmi dochmiaci non incerti sint. Nam cum solutâ longâ prior brevium syllabarum ictu secundario feriatur, hos ictuum locos cognoscamus: ⏑ ⏖̋ ⏖́ ⏑ ⏖̋, itaque arsim primariam thesis quaedam sequitur, qua sequens secundarius ictus, quamvis multo minor sit, evidentissime apparet. Quae cum ita sint, ii qui hos rhythmos audiunt, dubitare non possunt, quin numeri dochmiaci sint.

b) De usitatissimis dochmii formis.

Postquam de rarissimis dochmii formis dixi, sequitur, ut loquar de usitatissimis. In indice quem supra proposui, positae sunt in loco I, II, X, XVII, quarum maxime notandae sunt eae, quas Boeckhius (de Metr. Pind. II, 8 p. 147) commemorat: „Et mirum videtur eam imprimis cultam esse formam, quae dactylici speciem praebet: — ⏖ — ⏑ —, sed scite adhibita haec „forma in acerbiore animi commotione. Quum enim in „dactylo arsis in longam incumbat sponte, thesis autem in „brevibus soleat esse, violentia quadam opus est, ut longa „deprimatur, brevis assurgat; ideoque ubi hoc fit, turbatus, „inconcinnus, vehemens numerus habet paracatalogen haud „levem, mentis perturbationi exprimendae commodissimam.“

Eas dochmii formas quas hucusque notavi, ex illa principali

⏑̲ ⏖́ ⏖ ⏑̲ ⏖́

prodire facile perspicitur. Sed quoniam hic numerus maximam formarum varietatem habere videtur, aliae quoque inveniuntur formae, quae plures habent difficultates, quarum praecipue nomino dochmios syncopatos, in quibus pro syllaba tertia et quarta una trisema posita est, ita ut epitritus ad dochmium quadret. Hujus speciei is de quo agitur poëta duo tantum exhibet exempla:

Dochmii syncopati.

Ai 880 stroph. τίς ἂν δή μοι ◡ — — ◡ —
925 antist. ἔμελλες τάλας ◡ — — ◡ —

O. T. 1315 str. δυςούριστον ◡ — — ◡ —
1323 antist. τυφλὸν κηδεύων ◡ — — — — *)

Dochmii cum synizesi.

Alterum habeant locum ii dochmii, qui unâ morâ longiores quam ceteri videntur esse. Legimus enim

in antistropha Ai 358 ἁλίαν ὃς ἐπέβας ◡ ◡— ◡◡ ◡ —
sed in stropha „ 350 μόνοι τ' ἐμμένον (τες) ◡ — — ◡ —

illius igitur versus dochmius novem moras complecti videtur. Putant alii quidem primam brevem in duas brevi breviores solutam esse, quam opinionem Bellermannus (O. T. adnot. ad. Chor. 1328—1368) affert, non probat. Licet enim locum conferre cum O. T. 1350 νομάδος ἐπιποδίας, ubi quidam basim pyrrhichicam ◡◡ ◡◡ ◡◡ ◡ — esse statuerunt. Quod mihi quidem verisimile non est; nam quamvis usus brevi breviorum frequentissimus sit, — inveniuntur enim in dactylis cycliis, tamen semibrevibus, quae ex hac dissolutione orirentur:

◡ ◡◡ ◡◡ ◡ ◡◡
◡◡ ◡◡ ◡◡ ◡◡ ◡◡

nunquam veteres usos esse satis constat **). Bellermannus ipse dubitat an altera explicatio, quae synizesim vocalium ια statuat, praeferenda sit. Atque ea quidem non est inaudita, invenitur enim jam apud Homerum Il. *B.* 811 ***)

ἔστι δέ τις προπάροιθε πόλιος αἰπεῖα κολώνη
— ◡ ◡ | ◡◡ — |

quo in versu vocales ι ο in unam longam contrahendae sunt.

---

*) Plerique scribunt contra Mss. fidem: in Ai. τίς ἂν δῆτά μοι, in Oed. T. δυςούριστον ὄν. cf. ea quae Bellermannus in editione Oed. Tyr. adnot. ad l. l.

**) cf. Westphal Syst. p. 136. sequ.

***) cf. Hom. Od. γ 262.

Quod si ad usum Sophocleum adhibere licet, hi efficiuntur dochmii:

Ai 358 ἀλίαν ὅς ἐπέβας ◡ ◡͡— ◡◡ ◡ —
◡ — ◡◡ ◡ —

O. T. 1350 νομάδος ἐπιποδίας ◡ ◡◡ ◡◡ ◡ ◡͡—
◡ ◡◡ ◡◡ ◡ —

qui cum indicis exemplis in locis III et V positis congruunt.

Dochmii et tripodiae iambicae

Synizesis aliam quoque difficultatem removebit. Sunt enim in systematis dochmiacis interdum tripodiae iambicae, quae aut in antistropha inter se respondent aut ad dochmios quadrant. Illae leguntur Ant. 1271 — 76 = 1294 — 1300. Composita est et stropha et antistropha ex trimetro, duobus dochmiis, trimetro iambico, uno dochmio cum tripodia iambica, duobus dochmiis. Et dochmii quidem compositi sunt e singulis bacchiis et iambis. Quos cum non raro poëtae adhibuerint, ne plures quidem bacchios iambosque, i. e. iambos dochmiis insertos in carminibus vitaverunt. Alia exempla, quorum eadem est ratio, in ejusdem carminis vss. 1306 — 1311 = 1329 — 1333 inveniuntur, ubi dochmiis tripodia iambica cum longis syllabis irrationalibus ◡̄ ◡́◡ ◡ —́ ◡̄ —́ immista est, et El. 1244 — 1250 = 1265 — 1270, ubi iambi puri sunt *). Illae tripodiae antistrophicae sine ulla dubitatione iambicae sunt. Eae autem, quae cum dochmiis congruunt, cum haec symmetria esse videatur:

◡ — ◡ — ◡ —
◡ —— | — ◡ —

nonne demonstrant esse revera dochmios enneasemos,

*) Aeschylus haec praebet exempla Agam. 1121 — 22 = 1132 — 33:

ἰὼ γάμοι γάμοι Πάριδος ὀλέθριοι
◡ — ◡ — ◡ — || ◡ ◡́◡ ◡◡ ◡ —́
φίλων ἰὼ Σκαμάνδρου πάτριον ποτόν
◡ — ◡ — ◡ — || — ◡́◡ — ◡ —́

quamquam pag. 5. id refutavimus? Est sane res digna, quae accuratissime perquiratur. Leguntur igitur tales tripodiae duobus tantum in locis:

Ant. 1340, ubi *ἑκὼν κατέκτανον*

quadrat cum antistropha *ποτ' ἐξ αἰτίας*

quem locum cum G Hermanno in *ἑκὼν κάκτανον* mutandum esse puto; et Oed. T. 1329—30 = 1349—50 et 1340—46 = 1360—66, ubi hi versus leguntur:

Stropha

1329 *Ἀπόλλων τάδ' ἦν, Ἀπόλλων, φίλοι,*
1330 *ὁ κακὰ κακὰ τελῶν, ἐμὰ τάδ' ἐμὰ πάθεα**)
1340 *ἀπάγετ' ἐκτόπιον ὅτι τάχιστά με,*
*ἀπάγετ, ὦ φίλοι, τὸν ὀλέθριον μέγα,*
*τὸν καταρατότατον, ἔτι δὲ καὶ θεοῖς*
*ἐχθρότατον βροτῶν.*

Antistropha

1349 *ὄλοιθ' ὅστις ἦν ὃς ἀπ' ἀγρίας πέδας*
1350 *νομάδος ἐπιποδίας* **) *ἔλαβέ μ' ἀπό τε φόνου*
1360 *νῦν δ' ἄθεος μὲν εἶμ', ἀνοσίων δὲ παῖς,*
*ὁμογενὴς δ' ἀφ' ὧν αὐτὸς ἔφυν τάλας*
*εἰ δέ τι πρεσβύτερον ἔφυ κακοῦ κακόν,*
*τοῦτ' ἔλαχ' Οἰδίπους.*

Metra sunt haec:

Stropha 1329 ◡ —́ — ◡ —́ | ◡ —́ — ◡ —́
◡ ◡◡́ ◡◡ ◡ —́ | ◡ ◡◡́ ◡◡ ◡ ◡◡́
1340 ◡ ◡◡́ — ◡ ◡◡́ | ◡ ◡◡́ — ◡ ◡́
◡ ◡◡́ — ◡ —́ | ◡ ◡◡́ ◡ — ◡ —́
◡ ◡◡́ — ◡ ◡◡́ | ◡ ◡◡́ — ◡ —́
— ◡◡́ — ◡ —́ |

*) Ultima hujus versus dochmiaci syllaba lege rhythmicâ, quippe quae solutionem ultimae syllabae in fine versus positae non patiatur, neglectâ dissoluta est. Idem invenitur Ant. 1319. ubi Boeckhius (Antig. pag. 293) syllabas *λέος* contrahendas esse putat.

**) Partes rhythmicae hujus versus jam pag. 13 expositae sunt.

Antistropha 1349 ◡ —́ — ◡ —́ | ◡ ◡́◡ ◡ — ◡ —́

◡ ◡́◡ ◡◡ ◡ ◡ —́ | ◡ ◡́◡ ◡◡ ◡ ◡́ ◡̄

— ◡́◡ — ◡ —́ | ◡ ◡́◡ — ◡ —́

◡ ◡́◡ — ◡ —́ | ◡ ◡́◡ — ◡ —́

— ◡́◡ — ◡ ◡́◡ | ◡ —́ ◡ — ◡ —́

— ◡́◡ — ◡ —́ |

Versus lineâ notatos alii tripodias iambicas esse existimant, alii illam comprobantes explicationem, quae p. 13 de synizesi allata est, dochmios eos esse censent. Nam ut in dochmio *νομάδος ἐπιποδίας* synizesim vocalium *ια* statuimus, ita in versus 1341 verbo *ὀλέθριον* idem facimus. Item versui 1350 *ἔλαβέ μ' ἀπό τε φόνου* non tam hoc metrum:

◡ ◡́◡ ◡ ◡́◡ ◡ —́, quam, cum ultima syllaba ob sequentem (vs. 1351) vocis *ἔῤῥυτο* vocalem brevis sit, hoc: ◡ ◡́◡ ◡◡ ◡ ◡́◡. Superest tripodia versus 1362: *ἔφυ κακοῦ κακόν*, quae cum altera ad dochmium quadrans apud Sophoclem non inveniatur, mihi quidem mutanda videtur esse et pro *ἔφυ κακοῦ κακόν* cum G. Hermanno legendum: *ἔτι κακοῦ κακόν*, quae mutatio lenissima est: reicitur enim repetitio vocis *ἔφυ*, quae e versu praecedenti sumta videtur esse, et pro ea repetitio *ἔτι* ponitur, nata e vocibus conjuncti dochmii *δέ τι*, quae numerum producit plane congruentem cum indicis pag 7 exemplis loco II allatis.

Versus, qui dochmii videntur esse, non sunt.

Neque fieri potest quin silentio praetereamus eos versus, qui dochmiorum speciem quidem praebent, revera dochmii non sunt, quia aut octasemi non sunt, aut singuli aliis rhythmis immiscentur. Nam cum et omnes versus ita conexi sunt legibus rhythmicis, ut ab eodem genere rhythmico non discedant, neque metabolen generis patiantur nisi series interjecta tam longa sit, ut per se ipsa pondus habeat; unus dochmius levior

videtur esse quam quo ordo constitutus interrumpi possit. Sed ut omittam illos versus, qui quibusdam tantum interpretibus dochmii esse videbantur, de iis agam, qui aut omnium fere consensu in dochmiis ponuntur, aut utile aliquid ad argumentationem nostram praebent confirmandam.

Ac primum quidem exemplum invenimus in O. T. v. 200—213:

*τὸν, ὦ πυρφόρων ἀστραπᾶν κράτη νέμων, ὦ Ζεῦ*
⏑ —| — ⏑ —| — ⏑ — ⏑ — ⏑ —| Λ ⏑ — —
⏑ —| —| — —| Λ ⏑ —| — ⏑ — —| ⏑ ⏑ —
*πε λα - σθῆ - ναι φλέ γοντ᾽ ἀ - γλα - ῶ - πι πεύ κᾳ*

Schema est Bellermanni, qui O. T. p. 24 scripturâ primariâ restitutâ rhythmum ita exponit: „Der zum Grunde liegende Rhythmus besteht aus zwei Dochmien und einem iambischen Trimeter, die von einander durch je eine zweizeitige Pause getrennt sind. Von diesen Pausen wird nun der grammatischen Verbindung der Worte wegen in der Strophe die erste durch *ἀ* (*στραπᾶν*) ausgefüllt, damit *ἀστραπᾶν πυρφόρων* zusammenbleibt, und in der Gegenstrophe die zweite durch die letzte Silbe von *ἀγλαῶπι*, damit *ἀγλαῶπι πεύκᾳ* zusammenbleibt." Cui assentior, ita tamen, ut virum doctissimum, praeceptorem dilectissimum meum, hoc loco parum accurate versus illos dochmios nominasse censeam. Nam cum decasemi, cum vacuo tempore dodecasemi sint, non inter dochmios sed iambos syncopatos eos numerandos esse puto.

Similem interpretationem proponere audeo in Antig. vs. 850—52 = 869—71, cujus loci scripturam, cum Boeckhius incertâ quadam conjecturâ *) corrigere studuerit, ego intactam esse velim:

*ἰὼ δύστανος, οὔτ᾽ ἐν βροτοῖσιν οὔτε νεκροῖσι μέτοικος*
⏑ —| —| — ⏑ Λ α — ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑
⏑ —| — ⏑ — ⏑ —| — ⏑ ⏑ — ⏑ —| — ⏑ — ⏑
*ἰὼ δυςπότμων κασί - γνητε γάμων κυ ρή - σας θανὼν ἔτ᾽*

*) cf. Boeckh. Ant. p. 70.

Interpretatio audacior videatur esse, quia cum in versibus logaoedicis syllabae trisemae cum iambis, spondeis irrationalibus, dactylis raro quidem congruant, hoc in loco frequentior est responsio. Causam hanc esse puto, quod partitio enunciatonum illarum non eadem est. Quo efficitur, ut et post vocem *δύστανος* vacuum sit tempus, et vox *κυρήσας* in trisemam mensuram producatur.

Alterum extat exemplum O. T. 660=690.

*οὐ τὸν πάντων θεῶν θεὸν πρόμον*
*ὦναξ εἶπον μὲν οὐχ ἅπαξ μόνον,*

quorum versuum partem priorem *οὐ τὸν πάντων* dochmium syncopatum, posteriorem tripodiam iambicam dochmii loco positam esse quidam censuerunt. Quod mihi quidem haud ita verisimile videtur, nam et dochmiorum syncopatorum duo modo *), tripodiarum dochmii loco omnino nulla **) inveniuntur exempla in hujus poetae fabulis, neque hoc metrum: ⏑ ——| ——| — ⏑ — ⏑ — ⏑ —
novum atque inauditum est, legitur enim Oed. Col. 1239

*ἐν ᾧ τλάμων ὅδ' οὐδ' ἐγὼ μόνος.*

Expletur igitur versu illo rhythmus trimetri iambici.

Tertium legitur Phil. 1092=1113

str. *εἴθ' αἰθέρος ἄνω* — — ⏑⏑ ⏑ —
antist. *ἰδοίμαν δέ νιν* ⏑ — — ⏑ —

systemati glyconeo insertum. Versus autem non sunt dochmii, nam non solum singuli dochmii choricis canticis non immiscentur, sed etiam nullum alium locum invenias, ubi Sophocles vel glyconeis dochmios immiscuerit, vel hac forma — — ⏑⏑ ⏑ — (quam in indice non commemoravi) usus sit. Sunt potius in iamborum syncopatorum numero habendi, legendique in hunc modum

1092 — —́| ⏑́⏑ ⏑ —́
1113 ⏑ —́| —́ ⏑ —́

*) cf. ea quae p. 12. disseruimus.
**) cf. p. 14.

quod metrum, ubi, priore non solutâ posterior concurrentium arsium soluta est, haud ita raro invenitur; duo sufficiant exempla:

Antg. 881 τὸν δ'ἐμὸν πότμον ἀδάκρυτον οὐδεὶς φίλων στενάζει
⏒́ ⏑ ⏒́ | ⏑́⏑ ⏑ ⏒́ | ⏒́ ⏑ ⏒́ | ⏒́ ⏑ ⏒́ ⏑ ⏒́ ⏑

Oed. T. 195 ἄπουρον εἴτ' ἐς μέγαν θάλαμον Ἀμφιτρίτης
⏑ ⏒́ ⏑ ⏒́ | ⏒́ ⏑ ⏒́ | ⏑́⏑ ⏑ ⏒́ ⏑ ⏒́ ⏓

Quartum extat Oed. C. 1074 — 84 = 1085 — 95 in stropha secunda, cujus metrum Nauckius sic statuit:

x
– – – ⏒́ ⏒́ ⏑ –
– ⏒́ ⏒́ ⏑ –

Sed totum carmen genere duplici compositum est, cui singuli dochmii facile immisceri non possunt; neque Nauckii schema rectum est, quia ad efficiendam responsionem antistrophicam vox ἔρδουσιν mutata est in ἔρδουσ'. Versus sunt iambi syncopati, quorum rhythmus codd. auctoritate non neglecta est:

ἔρδουσιν ἢ μέλλουσιν, ὡς προμνᾶταί τί μοι
⏓ – ⏑ – ⏓ – ⏑ – ⏓ –| – ⏑ –
⏑ –| – – – ⏑ – – –| – ⏑ –

ἰ ὼ Ζεῦ πάνταρχε θεῶν παντόπτα πόροις

In Trachiniis dochmii non inveniuntur.

Denique de iis dochmiis disseram, quos Nauckius in Trachiniis statuit. Ac revera dignissimi essent, qui commemorarentur, si soli nonantistrophici apud Sophoclem dochmii invenirentur. Primum igitur exemplum extat in Commo chori et nutricis vs. 880, cujus ut metrum intelligatur, versus praecedentes adscribam:

Trach. 878 Chorus: τάλαιν' ὀλεθρία· τίνι τρόπῳ θανεῖν σφε φῄς;
Nutrix: σχετλιώτατα πρός γε πρᾶξιν.
Chorus: Εἰπὲ τῷ μόρῳ
880 γύναι, ξυντρέχει.

Atque priores quidem trimetri sunt iambici, singulari quadam forma propter concitatos loquentium animos. Post ver-

sum 880 sequuntur versus logaoedici. Compositum igitur carmen e genere duplici, cui singuli dochmii apte inseri non possunt. Aptissimum mihi quidem metrum videtur:

*γύναι, ξυντρέχει*

⏑ — ⏑̂ — ⏑ —

i. e. tripodia iambica, quia vacuo tempore verba illa disjungenda sunt.

Alterum est in monodiae Herculis versibus 1041—1043. Versus quos Nauckius dochmios esse censet, sunt:

1041 *Ὦ Διὸς αὐθαίμων, ὦ γλυκὺς Ἀίδας*
1043 *τὸν μέλεον φθίσας.*

Cum autem vir doctissimus eos antistrophicos esse neget, nihil est quod eos dochmios esse judicemus, nam non solum possunt legi;

— ώ — — —́   — ώ — ⏑ —́
— ώ — — —́

sed etiam —́ ω —́ | —́ | —
—́ ω —́ ⏑ —́
—́ ω —́ — —́

aut alio quolibet modo. Sunt autem versus sane antistrophici, id quod jam Godofredus Hermannus vidit. Nauckium enim fugit in illo carmine ter quinque hexametros inter se respondere, probandamque Seidleri conjecturam esse, qui verba: *ὦ γλυκὺς Ἀιδας* e vs. 1041 in vs. 1040 transposuit. Congruunt igitur

a. vs. 1005—6 cum vs. 1016—17
b. „ 1007—9 „ „ 1027—30
c. „ 1010—14 „ „ 1031—40
d. „ 1024—26 „ „ 1041—43
f. 1018—1022 mesodia;

et series stropharum est:

a b c a f d b c d

Versus inter se respondentes, qui ad hanc pertinent quaestionem, sunt:

1024—26 ὦ παῖ, παῖ, ποῦ ποτ' εἶ;
τᾷδέ με, τᾷδέ με πρόςλαβε κουφίσας.
ἒ ἒ ἰὼ δαῖμον. *)

1041—43 ὦ Διὸς αὐθαίμων,
εὔνασον, εὔνασον ὠκυπέτᾳ μόρῳ
τὸν μέλεον φθίσας.

quorum metrum hoc:

1024 — — —| — ◡ —
1041 — ◡◡ —| —| —

1025 — ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡ —
1041 — ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡ —

1026 ◡◡ ◡ —| — —
1043 — ◡◡ —| — —

ubi vs. 1024 cum v. 1041 congruit, nam et spondei irrationales ad dactylos cyclios **) et iambi ad syllabas trisemas ***) quadrantes saepius inveniuntur. Versus 1025 et 1041 plane congruunt. In ultimis autem versibus 1026—1043 tribrachys ad dactylum cyclium quadrat, quod nusquam alibi in Sophoclis carminibus usitatum videtur esse, ego quidem exemplum non inveni; cum autem tribrachys optime cum iambo congruat, iambus autem saepissime ad dactylum cyclium qua-

---

*) Semel modo ἰὼ legendum esse puto.

**) Phil. 1082 θερμὸν καὶ παγετῶδες ὥς.
1103 καὶ μόχθῳ λωβατὸς ὃς ἤ (δη)
x — x́ ◡ ◡ x́ ◡ x́
x — x — x́ ◡ ◡ x́

***) Oed. T. 1206 = 1214
τίς ἐν πόνοις, τίς ἄταις ἀγρίαις
◡ — ◡ — ◡ —| —| — ◡ —
◡ —| —| ◡◡ ◡ — ◡ — ◡ —
δι κά — ζει τὸν ἄγαμον γάμον πάλαι.

dret *), quia uterque genere duplici compositus sit, nihil est, quod tribrachyn ad dactylum quadrare negemus.

2) De vi indoleque dochmii.

Jam satis de dochmii formis disseruisse mihi videor; restat ut consideremus, quid de vi indoleque hujus numeri putandum sit, i. e. quos ad animi affectus describendos Sophocles dochmiis usus sit. Quoniam autem omnes res, et quas sensibus percipimus et quas cogitatione menteque amplectimur, eo magis comprehenduntur, quo melius origines atque principia earum perscrutati sumus; primum de rhythmi natura atque indole, quippe a quibus dochmii indoles progrediatur, quaerendum nobis erit; tum notas atque signa nobilissima afferamus, e quibus, quae sit indoles huius numeri apud Sophoclem, concludi possit.

I.a. De rhythmi natura et indole.

Rhythmus igitur est systema temporum certo ordine compositorum **). Quo si quis utitur ad id quod sibi proposuit, varios temporum ordines adhibeat necesse est, aut *ἐν λόγῳ ἴσῳ* (‿‿ ‿‿ 2 : 2) aut *διπλασίῳ* (‿‿ ‿ ‿ ‿‿ 2 : 1) aut *ἡμιολίῳ* (3 : 2) aut alio compositos. Sed ille qui utitur est poëta, eoque excellentior, quo accommodatiorem ideae, quam animo complexus est, formam invenit. Rhythmum igitur constantem atque aequalem minus magisve concinnum eliget, si constantem animi statum, aut levem aut gravem; inaequalem atque inconcinnum, si fluctuantem atque turbulentum affectum depingere sibi proposuit. Atque dochmius non uni generi rhythmorum adnumerandus est, sed duobus, unde eum non constanti animi

*) cf. exemplum supra dictum e Philoctete 1082 et
Ai 221 *ἀνδρὸς αἴθοπος ἀγγελίαν*
— ‿ — ‿ ‿ — ‿ ‿ —
— ‿ ‿ — ‿ ‿ — ‿ ‿ —
*κρᾶτα καλύμμασι κρυψάμενον*

**) Arist p. 131 *ῥυθμός ἐστι σύστημα ἐκ χρόνων κατά τινα τάξιν συγκειμένων.*

affectui sed fluctuanti aptum esse perspicias *). Jam vero, qui rhythmi ex pluribus miscentur, varios movent affectus pro vi indoleque generum, e quibus componuntur **).—

b. Indoles generis duplicis et sescuplicis.

Genera autem quae dochmium efficiunt, sunt sescuplex atque duplex, quorum hoc ob inaequalem arseos ac theseos mensuram minus grave, minus concinnum, minus generosum est quam genus par; illud autem, major et praevalens dochmii pars, quia in ratione media est (3 : 2) inter aequalem (2 : 2) et duplicem (4 : 2), medius igitur inter gravitatem levitatemque, accedente inconcinnitate perturbat plus, minus; ergo numeri ex his generibus misti et perturbationem et levitatem sive humilitatem animi repraesentant. Atqui horum generum duae tantum species dochmium efficiunt, bacchius et iambus, uterque a thesi incipiens et ad arsim ascendens. Rhythmi autem a thesi incipientes concitatiores sunt incipientibus ab arsi ***). Dochmius igitur non solum perturbatos atque enervatos sed etiam concitatos animos depingit.

c. Indoles dochmii.

II. Usum Sophocleum ad compositionem bachio-iambicam quadrare demonstratur.

In iis quae hucusque de indole disputavi, maxima ex parte Boeckhii descriptionem metrorum secutus usum omnibus poetis communem explicavi. Quem cum Sophocles quoque secutus sit, praeterea autem proprium sibi usum effinxerit, restat ut usum Sophocleum accuratius definiam. Sed

*) Arist. 99. *πάλιν δὲ οἱ μὲν (ῥυθμοὶ) ἐφ' ἑνὸς γένους μένοντες ἧττον κινοῦσιν, οἱ δὲ μεταβάλλοντες εἰς ἑτέρα βιαίως ἀνθέλκουσι τὴν ψυχὴν ἑκάστῃ διαφορᾷ, παρέπεσθαι καὶ ὁμοιοῦσθαι τῇ διανοίᾳ καταναγκάζοντες κ. τ. λ.*

**) Boeckh. de metr. Pind. III. 6. p. 200.

***) Aristid. p. 97. *Τῶν δὲ ῥυθμῶν ἡσυχαίτατοι μὲν οἱ ἀπὸ θέσεων προκαταστέλλοντες τὴν διάνοιαν, οἱ δὲ ἀπὸ ἄρσεων τῇ φωνῇ τὴν κροῦσιν ἐπιφέροντες τεταραγμένοι.* De notione *ἄρσεως* et *θέσεως* cf. ea, quae pag. 2 adnotavi.

unde potissimum ordiar? An omnia carmina dochmiaca perlustrans ex eorum comparatione et complexione summam quandam faciam? At perdifficile, subtilitatem, decus, pulchritudinem, quae in choricis canticis insunt, quae magis sentiri quam dici possunt, non solum verbis eius rei maxime propriis describere, sed etiam tam perspicue disponere, ut facilis fiat comparatio. Aliae igitur notae, quae magis sub sensum cadant, nobis quaerendae sunt. Earum tres potissimum inveni: primum versus qui cum dochmiis conjunguntur, deinde animi affectus qui hoc numero describuntur, tum personas quibus Sophocles carmina dochmiaca attribuit. His de rebus nunc jam disserendum est.

a. Versus qui cum dochmiis conjunguntur.

Ac primum quidem versus, qui in systematis dochmiacis leguntur, sunt: monopodiae [1]), dipodiae [2]), tripodiae iambicae [3]), trimetri iambici [4]), cretici [5]), iambici syncopati [6]), logaoedici [7]), bacchii [8]), qui cum aut generi duplici aut sescuplici adnumerandi sint, aut ad initium aut ad finem dochmii egregie quadrant. Genus duplex amplectitur iambos, aut puros, aut cum longis syllabis irrationalibus, aut syncopatos, quibus etiam nonnullos creticos adnumerandos esse puto, aut versus logaoedicos, quorum dactyli generi duplici adnumerantur. Atque iambi impetus cum dochmiorum magis minusve congruit pro frequentia longarum syllabarum irrationalium, quae iis insertae

---

1) Ai. 348, 394; Ant. 1261, 1271; O. T. 1316, 1324.

2) O. T. 1314, 1321; Ant. 1285, 1329.

3) O. T. 1328, 1368; Ant. 1310, 1332; El. 1245, 1265.

4) Ai. 367, 382; O. T. 1317—1325; Ant. 1272—74, 1295, 97; El. 1386, 1393.

5) Ai. 394, 408; O. T. 660, 668, 1387; El. 1238.

6) Ai. 903, 949; Ant. 1263—1286; El. 1249, 1269.

7) Ai 352, 361; 879, 890.

8) Phil. 396, 511.

sunt: similiores enim sunt puri, dissimiliores irrationales. Jam vero concentus quivis vel in minimis strophae partibus percipitur; dissimilitudo autem eo insignior est, quo majorem strophae partem tenet. Hanc esse causam puto, cur Sophocles iambis puris praecipue in versibus brevioribus, monopodiis, dipodiis, tripodiis, — irrationalibus autem in longioribus usus sit, nam tribus modo locis exceptis, quantum ego quidem observavi, El. 1389 et O. T. 1324 — (tamen trimetri cum longis irrationalibus sequuntur) — et Ant. 1310, ubi similitudo initii versus sequentis exceptionem excusat, breviores versus iambici semper puri sunt.


Trimetri, si puri sunt, etiam ob similitudinem adhibentur. Si irrationales habent longas ideoque majore sunt tranquillitate, oppositi sunt dochmiorum ardori. Quod ut statim intelligatur, duo exempla adscribam, primum cum iambis puris ex El. vs. 1232—1235, ubi Electra fratrem, quem jamdudum mortuum arbitrabatur, sospitem salutat:

*ἰὼ γοναί,*
*γοναὶ σωμάτων ἐμοὶ φιλτάτων,*
*ἐμόλετ' ἀρτίως,*
*ἐφεύρετ', ἤλθετ', εἴδεθ' οὓς ἐχρῄζετε.*

◡ — ◡ —
◡ –́ — ◡ –́ | ◡ –́ — ◡ –́
◡ ◡́◡ — ◡ –́
◡ — ◡ — ◡ — ◡ — ◡ — ◡ —

alterum cum longis syllabis irrationalibus ex O. T. 1321—26, ubi rex miserrimus chorum alloquitur:

*ἰὼ φίλος,*
*σὺ μὲν ἐμὸς ἐπίπολος ἔτι μόνιμος· ἔτι γὰρ*
*ὑπομένεις με τὸν τυφλὸν κηδεύων.*
*φεῦ, φεῦ·*
*οὐ γάρ με λήθεις, ἀλλὰ γιγνώσκω σαφῶς*
*καίπερ σκοτεινὸς, τήν γε σὴν αὐδὴν ὅμως.*



Iambi syncopati, sive creticorum sive aliam praebent formam, cum ob thesim nonnunquam intermissam modo celeriorem modo tardiorem habeant motum teneantque suspensum inter concitationem et remissionem animum, non minus similes sunt dochmiis. — Logaoedici, qui ob fugacem cursum dochmiorum indoli minus accommodati videntur, uno loco Ai. 879—914 = 925—960 frequentiores dochmiis inseruntur, ubi chorus obscura exspectatione imminentis cladis huc illuc agitatus Aiacem quaerit. Motus et inquies igitur ad rhythmorum vim indolemque quadrant.

E genere sescuplici bacchio et cretico usus est poëta, quorum illi uno extant loco Phil. 396 = 511 binis dochmiis inclusi. Bacchiis usos esse poetas in carminibus Bacchum celebrantibus jam p. 6 e Schol. Heph. 171 cognovimus. Cum autem veneratio Cybeles *ἐνθουσιαστικωτέρα* fuerit quam Bacchi, rhythmus quoque turbulentior cum ea conjunctus est, qui est dochmiacus. Aptissima igitur compositio dochmiorum et bacchiorum elatae illi supplicationi Cybeles mihi videtur esse, neque, ad eligendum hunc rhythmum ansâ datâ in stropha, minus accommodata in antistropha, ubi animus chori commiseratione infelicis Philoctetae, amore ducis carissimi, spe atque desiderio patriae videndae quasi in alto jactatur *).

---

*) Usus bacchiorum haud ita rarus est apud alios tragicos; cf. Aesch. Sept. 104, 105: *τί ῥέξεις προδώσεις, παλαίχθων Ἄρης, τὰν τεὰν γᾶν.*

Creticorum usus duobus locis certis firmatur Ant. 1263 = 1286 ubi duo cretici dochmiis immisti sunt tali modo:

⏑ ⏑́⏑ ⏑⏑ ⏑ –́ | – ⏑ –, – ⏑ –
⏑ –́ – ⏑ –́ | ⏑ ⏑́⏑ – ⏑ –́

et El. 1249—1269, ubi tres cretici, quorum ultima syllaba soluta est, paeonis primi praebent formam. In primo loco Creon deplorat dementiam suam, quae lacrimabilem domus exitum adduxerit, in altero memoria necati patris ita Electrae concitat animum, ut rhythmo vehementi utatur *). Reliqui loci, ubi libri editi creticos indicant, speciem quidem praebent creticorum cum anacrusi, sed quia iidem iambis inserti sunt, neque animi cantantium ita commoti sunt, ut metro turbulento opus sit; ego quidem eos iambos syncopatos esse puto **).

Dissimiliores reliqui versus eorundem generum videntur esse; trochaei enim, quia ab arsi ad thesim descendunt, nimis sunt sedati ***). Dactyli *ἐν λόγῳ ἴσῳ* compositi, quia graves atque generosi sunt, a dochmiorum indole nimis discrepare videntur. Omnibus igitur quae de numeris cum

---

Agam. ed. Enger 1038. sequ. in precatione deorum:
*ὀτοτοτοῖ ποποῖ δᾶ* ⏑ ⏑⏑ —, ⏑ — —
*Ἀπόλλων, Ἀπόλλων* ⏑ — —, ⏑ — —
et Eum. 778. — Eur. Bacch. 978 et 800 = 998 et 1000; 991 = 1011.

*) Cretici apud Aeschylum inveniuntur Spt. 206; Agam. 1083 = 1094; 1130 = 1141; 1131 = 1142.

**) cf. Oed. T. 650, ubi idem rhythmus in eadem stropha repetitus in fine accipit iambos:

⏑ –́ ⏑ –́ | –́ ⏑ –́ | – ⏑ –́ | – ⏑ –́ |
⏑ –́ ⏑ –́ – –́ ⏑ –́
⏑ –́ ⏑ –́ | –́ ⏑ –́ | –́ ⏑ –́ | –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́

praeterea O. T. 665 = 693; 1337—39 = 1357—59; Ai. 902 = 948; El. 1384 = 1391.

***) cf. ea quae pag. 23 ex Aristid. adnotavimus.

dochmiis conjunctis disputavi, ut paucis comprehendam quae mihi effecisse videór, id puto evicisse, numeros illos aut ad dochmiorum initium, ut bacchios, aut ad finem, ut iambos, creticos, logaoedicos, quadrare.

Indolem versuum, qui dochmiis inseri solent, quamquam nemo nescit qualis apud Sophoclem sit, propterea modo proposui, ut facile comparari possit cum dochmiorum indole, qualem e compositione bacchio-iambica cognovimus. Quas cum affinitate quadam inter se conjunctas esse demonstraverim, perspicuum est usum Sophocleum a communi dochmiorum usu non discrepare.

b) Animi affectus, qui numero dochmiaco describuntur.

Sequitur ut animi affectus qui hoc numero describuntur, cum dochmiorum indole congruere doceam. Sophocles usus est dochmio in gaudio [1]), dolore [2]), contentione [3]), terrore [4]), precatione deorum [5]) describendis. Atque gaudium et dolorem rhythmo dochmiaco non describit, nisi et vehementia et inopinata sunt, quoniam ita eorum vis major est et plane congruit cum dochmii indole, quae vehementissimis modo in animi affectibus et describendis et movendis versatur. De precatione deorum jam supra disseruimus. Contentionis autem et terroris vehementes affectus dochmiorum indoli aptos esse satis apparet.

c) De natura atque moribus personarum, quibus Sophocles carmina dochmiaca attribuit.

Restant signa non minus conspicua atque certa, quae a natura atque moribus personarum sumuntur. Dicat quispiam dochmios omnium carminum metrum esse, quae in alto quasi jactatas mortalium mentes repraesentent. Minime vero. Nonne Hercules quem nemo ulli malo ingemiscentem

---

1) Electra 1232 seq.
2) O. T. 1307; Ant. 1261.
3) O. Col. 834.
4) El. 1384.
5) Philoct. 391.

viderat, veste furiali extabescens, dolore cruciatus — nonne Philoctetes, *) aut viperino tortus veneno, aut improvisam arcus, unici solatii, jacturam deplorans, — nonne Antigona mortis damnata, cladem parentum, fratrum, suam ipsius lacrimabilem fortunam deflens, summo dolore affecti sunt? Neque tamen dochmiaca cantant; contra Aiacis, Creontis, Electrae carmina nonnulla hoc numero composita sunt. Licet causam intelligere ex Herculis persona. Iovis enim filius, quamquam doloribus vexatur, tamen ita non dubitat quin immortalitatem adepturus sit, ut animi fortitudo plane non imminuatur. — At tantum tollit clamorem, ut rupes Locrenses resonent. — Concedam; sed clamor et lacrimae a moribus graecis non abhorrent, quod cum ex multis aliis locis tum ex Odyssea δ. 195 intelligi potest, ubi sapientissimi Graecorum Nestoris filius dicit: *νεμεσσῶμαί γε μὲν οὐδὲν κλαίειν κ. τ. λ.* Sophocles igitur qui nihil sine causa atque ratione molitur, numerum dochmiacum ut modum excedentem, mollem, effeminatum, illo heroe indignum reiecit. Neque aliter sentiendum est de Philocteta. Corporis, non animi vires absumptae sunt, heros igitur vel arcu amisso eandem sibi fortitudinem atque virtutem, idem Ulixis et Atridarum odium servat, quo antea inflammatus erat. Itaque Antigona, femina animi fortissimi, numero dochmiaco ut nimis molli non utitur. Aiax vero quo primo quidem nemo mortalium superbior erat, postquam implacabilem Minervae iram in se vocavit, infirmitatem rerum humanarum satis cognoscens; atque Creon, pristinam fortunam cum praesenti clade comparans; uterque omni spe salutis restituendae deiectus, desperatum animi statum aptissime dochmiis exprimit. Electra fratrem, quem jamdudum mortuum esse suspicabatur, viventem et ad patris mortem ulciscendam paratum conspicata, eiusdem puellae amicae, atrocissima Clytaemnestrae

---

*) Phil. 1092 = 1113 non sunt dochmii; cf. p. 18.

morte terrore perculsae; Creon et chorus senum Atticorum in Oedipo Coloneo rixantes et paene manus conserentes; Neoptolemi socii in Philoctete, Cybelam adorantes, ut paucis dicam, omnes qui carmina dochmiaca cantant, animos suos impetui affectuum parum renitentes, sui non compotes ostendunt. Itaque cum numerum dochmiacum, quippe qui in vehementissimis modo animi affectibus iisque describendis et movendis versetur, esse turbulentum nemo unquam negaverit, minus autem perspicuum fuerit, eum enervem quoque esse: comparatione personarum facta dochmii indoles et turbulenta et enervis quasi ante oculos posita videtur esse.

Comparantibus nobis ea quae dicta sunt de versibus cum dochmiis conjunctis, de animi affectibus, de personis quibus Sophocles carmina dochmiaca attribuit, comparantibus, dico, ea cum dochmii indole, qualem e veterum rhythmicorum libris et e compositione bacchio-iambica cognovimus: id constare videtur, usum Sophocleum ad veterum rhythmicorum doctrinam optime quadrantem extitisse.

